

CWRU Department of Music Sample Latin Exam

Part 1.

Discantus est aliquorum diuersorum cantuum consonancia in qua illi diuersi cantus per voces. longas. et breues. et semibreues. proporcionaliter adequantur. et in scripto per debitas figuras. proporcionali adinuicem designantur. Discantus dividitur tripliciter sic. alius simpliciter prolatus. alius copulatus. alius truncatus. et de hijs per ordinem est dicendum. Set quia quilibet discantus per modos procedit. idcirco primo de modo et consequenter de eorum signis scilicet de figuris est tractandum Modus est representacio soni. longis. breuibus. que. temporibus mensurati. Modi autem a diuersis diversimode enumerantur et eciam ordinantur Quidam vero ponunt sex alij septem nos autem quinque tantum ponimus. quia ad hos quinque omnes alij reducuntur. Primus enim procedit ex omnibus longis. et sub isto ponimus illum qui est ex longa. et breui. et longa. et hoc duabus. de causis. Prima causa est quia isti duo in similibus pausacionibus uniuntur Secunda est propter antiquorum et aliorum modernorum contrauersiam compescendam. Secundus procedit ex breui et longa. et breui Tercius vero ex longa et duabus breuibus. et longa Quartus est ex duabus breuibus. et longa. et duabus breuibus. Quintus autem ex omnibus breuibus et semibreuibus

Part 2.

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum; in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiae suae, et veritatis suae domui Israel. Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri.

Jubilare Deo, omnis terra; cantate et exsultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara; in cithara et voce psalmi;

in tubis ductilibus, et voce tubae corneae. Jubilate in conspectu regis Domini;

moveatur mare, et plenitudo ejus; orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exsultabunt

a conspectu Domini, quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in aequitate.